

273 Q 7














HAERETICORVM Catalogus, & historia

QVALEM GRATIANVS *POST ISIDORVM DI*-geſſit in Can. Quidam autem. xxiiij Quæſt. III.

J. Quintin, called Haeduus



PARISIIS,
Apud Andream Wechelum, ſub Pegaſo, in vico Bellouaco: Anno Salutis,
1560.



IO. QVINTINVS HÆDVVS, SACRORVM DECRETORVM DOCTOR, Auditoribus Christianis in Christo Iesu Salutem.



ATHOLICI perquàm multi viri de singularibus Hæresiarchis, & Hæresibus eorundem singulis, varios tractatus ædiderunt. Non vt impios celebrarent, aut ediscendas orbi proponerent insanias falsas. Psal. 39. *Verùm, quâ mente diligentes, ac fidi Medici morbos diuersos, & origines, causásque morborum describunt hominibus, non in laudem morborum, sed vt ægrotantes ægrotare se sciant, ac fateantur (quæ sanitatis futuræ spes est maxima) nec non remedia quærant, & inde faciliùs curetur: Sic etiam de nostra omniũ salute valde quàm solliciti, piißimi patres, & in Ecclesia nostri Pastores, atq; maiores, hoc ipsum disponente Deo, non Immißiones tantùm per* Psal. 77. *Angelos malos, sed ipsos pariter Angelos malos, nobis ad cautionem demonstrarunt. Hære-*

ſeis (puta) ſimul & Hæretico indicarunt.

Doctores aliquot Ecclesiaſtici, qui ſui temporis Hęreticorũ contexuerunt Elenchos.

Christianorum (quem ſciam quidem) doctorum primus Irenæus, in regionibus Rhodani Gallici (græcè tamen) ſcribens, ad vſque ſeculum ſuum, circiter annum Do. 180. Hæreticos, qui fuerant, nominatim ſeriatímque deſignauit, eius primo de Hæreſibus libro. Maximè à cap. 20. ad libri concluſionem. Quem mox Tertullianus inſequutus eſt, omnino ſimilia prodens in Aphrica Anno Do. circa 200.

Longô pòst interuallo (medios nullos recordor) Epiphanius, Epiſcopus Conſtantiæ Cypri, Anno Do. 377. grande volumen ædidit, ampliſſimam continens Hæreſeωn, & Hæreticorum omnium nomenclaturam: quod ab ea re, πανάριον, ἢ κιβώτιον, *inſcripſit, hoc eſt, Panarium, vel Arcula, vbi cuncta clauduntur Hæreſes.*

Haud multùm diuerſo tempore (ſi non eodem) circiter An. Do. 390. Philaſtrius Brixienſis epiſcopus, Ambroſij Mediolanẽſis conſors & amicus, opuſculum ſcripſit De omnibus Hæreſibus, pleríſque tamen anonymis. In quarum numero malè conuenit ei cum Epiphanio. Nam poſt Chriſti paſſionem, Sexaginta

duntaxat

duntaxat hic numerat Hæreſeis. Atqui Philaſtrius centum & viginti octo recenſet.

Auguſtinus vtrúmque citat, Epiphanium tamen exiſtimãs doctiorem, in libro, quem ſcripſit De Hæreſibus, ad Quoduultdeum, Carthaginenſem diaconum To. 6. referens Hæreſeis octo ſolas & octoginta. Nonnihil admiror, cur Irenæi, atque Tertulliani non meminerit Auguſtinus: qui duo ducentis plus annis antea tractarant hoc argumentum. Sed etiam miror, quem legerit Auguſtinus Epiphanium: certè non noſtrum, ſed alium prorſus: quum dicat eum, ſex admodum breues libellos de octoginta Hæreſibus ſcripſiſſe, in quibus pro veritate contra falſitatem non diſputet. Imò, prolixiſsimus eſt Epiphanius: Hæreſimq́ nullam relinquit irreprehenſam, & non plenè confutatam, Serpentũ gaudens & Hæreſeωn frequentiſsimis collationibus. Illud inſuper Epiphanij Panariũ (ſicut eſt in codice græco) libros tres tãtùm continet, ac Tomos, ſiue Sectiones ſeptem, quæ non eſt Auguſtini partitio, quem ſolummodo legiſſe veriſimile eſt Epitomen quãpiam Tomorum Panarij.

Theodoretus Epiſcopus Cyri, cuius magna

laus est in Ecclesiastica historia, quam libris quinque digessit per annos cẽtum quinque: scripsit insuper libros quatuor, De fabulis Hæreticorum: singulos nominatim notans Hæresiarchas. Epiphanij certè temporibus, aut paulò post Epiphanium, cuius tamen non meminit.

Anno postea Christi circiter 630. Isidorus Ispalẽsis Episcopus (ea ciuitas est vlterioris Hispaniæ, seu Beticæ, nunc Seuilla) quum suis Etymologiis nihil non infarciret, Hæresiarcharum quóque, simul & Hæresum nomina septuaginta solùm compegit in caput quintum libri octaui, quod Gratianus in Quæstionem tertiam Causæ vigesimæ quartæ transtulit integrũ sicut hîc habetis.

Deinde, Joannes presbyter Damascenus, anno Do. circiter 740. aut 50. librum de Hæresibus composuit: in quo describit Hæreseis octoginta tres, aut quatuor: inter quas, Hæresin Mamedij (qui fuit Agarenorum propheta) reponit. Machumetes, ac Turcæ postea sunt appellati.

Vetustiores istis, qui singulatim, vnum post alium, perstrinxerint Hæreticos omnes, & enu-

merationem

merationem talium conſcripſerint, equidem non legi. Scio quòd Euſebius, Hilarius, Hieronymus, Arnobius, Vincentius Lyrinenſis monachus, & alij ſancti Patres plurimi, ſcripſerunt aduerſus Hæreticos, & prophanas Hæreſeωn nouationes, alio tamen argumento ſibi propoſito. Nam, ſeruit alter hiſtoriæ. Pugnat vnus in Arium. Luciferianos, & Pelagianos contundit alius. Ille omnes in vniuerſum deteſtatur Hæreſeis. Hic ſpecialiter vnam. Sed, qui ſingularum nomenclator extiterit, ordine iam dicto, non eſt aliquis mihi viſus, præter antiquiores illos nominatos. Et ſi non dubitem multos alios eſſe. Diuus Auguſtinus in fine libri ſui ad Quoduultdeum, ſe dicit audiuiſſe Hieronymum ſcripſiſſe de Hæreſibus: ſed (ait) opuſculum, nec in noſtra bibliotheca inuenire potuimus, nec vnde poſsit accipi, ſcimus. Neque liber nunc extat.

Quos recentioribus annis imitati ſunt aliquot ſanè pij, docti, religioſiq́; viri: de quibus duos tantummodò legi, neque ſine zelo, neque ſine ſcientia ſcriptores (Contemporaneos credo fuiſſe) Fr. Bernardum Lutzemburgum, Dominicanum, & Fr. Alphonſum de caſtro Za-

morensem, Franciscanum, quorum labores in publicum prodierunt, alterius anno Do. 1524. Alterius 1534. Vincētius, vulgò dictus Beluacensis, in historiali suo speculo paßim cuiúsque seculi memorat Hæreticos, quod aliquoties facit & Ioannes Gerson. In his tamen series nulla continua est, vt enim locus exigebat, sic eos denominabant. In aliis ordo perpetuus est. Non dubito plures istius argumenti tractatores extare, qui citantur & à prædictis: sed illis contentus, quos habeo penes me, conabor hanc historiam totam facilem vobis, & apertā, nec minus vtilem, quàm iucundam reddere. Dominus Deus noster Saluator IESVS CHRISTVS *adiuuet conantem: Vósque in re salutis vestræ prælectori vestro beneuolos & attentos faciat: & in sua religione conseruet incolumes ab istis omnia iam contaminantibus & inficientibus, quin & interficientibus pestibus. Amen.*

Ex Decretorum scholis, in fæcunda sanctorum studiorum parente, Parisiensi vniuersitate, sabbati die decimo nono mensis Octobris 1560. Postridie sancti Euangelistæ Lucæ, quô solemus ad ordinarias nostras Ecclesiasticorum Decretorum prælectiones, post Autunnales ferias, redire.

DE HAERESIBVS CHRISTIANORVM.

QVIDAM autem Hæretici, qui de Ecclesia recesserũt, ex nomine authorum suorũ nuncupantur: quidam verò ex caussis, quas eligentes instituerunt.

SIMONIANI, dicti à Simone, magicæ disciplinæ perito: cui Petrus in actibus Apostolorum maledixit, pro eo quòd ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecuniâ emere voluisset. Hi dicunt creaturam non à Deo, sed à virtute quadã superna creatam. Act. cap. 8.

MENANDRIANI, à Menãdro mago, discipulo Simonis, nuncupati: qui mundum non à Deo, sed ab Angelis factum esse asseruit.

BASILIDIANI, à Baſilide appellati: qui, inter reliquas blaſphemias, paſſum Ieſum abnegauit.

NICOLAITÆ, dicti à Nicolao diacono Eccleſiæ Hiroſolymorum, qui cum Stephano, & cæteris, cõſtitutus eſt à Petro: qui propter pulchritudinẽ relinquens vxorem, dixerit, vt, qui vellet, ea vteretur: & verſa eſt in ſtuprũ talis conſuetudo: vt inuicem coniugia commutarentur. Quos Ioannes in Apocalypſi improbat dicẽs – Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum.

Act. Cap. 6.

Apocal. cap. 2.

GNOSTICI, propter excellentiam ſcientiæ, ſe ita appellare voluerunt. Animam dicũt eſſe Dei naturam. Bonum, & Malum Deum ſuis dogmatibus fingunt.

CARPOCRATIANI, à Carpocrate quodam vocantur: qui dixit Chriſtum hominem fuiſſe tantùm, & de vtróque ſexu progenitum.

CHERINTHIANI, à Cherintho quodam nũcupati. Hi inter cætera, circuncisionem

ciſionem obſeruant: mille annos poſt reſurrectionem in voluptate carnis futuros prædicant. Vnde & græcè χιλιάσται, latinè Millenarij ſunt appellati.

NAZARÆI, dicti, quia dum Chriſtum (qui à vico, Nazaræus eſt appellatus) filium Dei confiteantur: omnia tamen veteris legis cuſtodiunt.

OPHITÆ, à colubro nominati ſunt. Coluber enim græcè ὄφις dicitur. Colunt enim ſerpentem, dicentes ipſum in Paradiſo induxiſſe Virtutis cognitionem.

VALENTINIANI, à Valẽtino quodam Platonico ſectatore vocati: qui αἰῶνας. i. Secula quædam, in originem Dei creatoris induxit: Chriſtum quoque de Virgine nihil corporis aſſumpſiſſe: ſed per eam, quaſi per fiſtulam, tranſiſſe aſſeruit.

APELLITÆ, quorum Apelles princeps fuit: qui creatorem Angelum neſcio quem glorioſum ſuperioris Dei, faciens Deum legis Iſraël: illum igneum affirmat, qui

Dixit etiam Christum, non Deum in Veritate, sed hominem in Phantasia apparuisse.

ARCHONTICI, à Principatibus appellantur: qui Vniuersitatem, quam Deus cõdidit, opus esse Archangelorũ defendũt.

ADAMIANI, vocati quòd Adæ imitentur nuditatem, vnde & nudi orant: & nudi inter se, Mares, Fœminæq; cõueniunt.

CAINANI, proinde sic appellati: quoniam Cain adorant.

SETHIANI, nomen acceperunt à filio Adam, qui vocatus est Seth. Dicentes eundem esse Christum.

MELCHISEDECHIANI, vocati pro eo, quòd Melchisedech sacerdotẽ Dei, non hominem fuisse, sed Virtutem Dei esse arbitrantur.

ANGELICI, vocati quò d Angelos colunt.

APOSTOLICI, hoc ſibi nomen ideo pręſumpſerunt, quòd nihil poſſidentes proprium, nequaquam recipiant eos, qui in hoc mundo vtuntur aliquo.

CERDONIANI, à Cerdone quodam nominati: qui duo contraria principia aſſerunt.

MARCIONITÆ, à Marcione Stoico philoſopho appellati: qui Cerdonis dogma ſequutus, alterum Bonum, alterum Iuſtum Deum aſſeruit: tanquam duo principia, Creationis, & Bonitatis.

ARTOTYRITÆ, ab oblatione vocati. Panem enim, & Caſeum offerunt: dicentes à primis hominibus oblationem de fructibus terræ, & de fructibus ouium, fuiſſe celebratam.

AQVARII, appellati, eò quòd Aquam ſolam offerunt in calice ſacramenti.

SEVERIANI, à Seuero exorti: vinum non bibunt: vetus teſtamentum, & Reſur-

rectionem non recipiunt.

TATIANI, à Tatiano quodam vocati: qui & Encratitæ dicti: qui carnes abominantur.

ALOGII, vocãtur tanquam ſine verbo. λόγος enim gręcè, latinè Verbum dicitur. Deum enim Verbum eſſe non credunt: reſpuentes Ioannis Euangelium, & Apocalypſin.

CATAPHRYGIS, nomen prouincia Phrygia dedit: quia ibi extiterunt. Authores eorum, Montanus, Priſca, & Maximilla fuerunt. Hi aduentum ſancti Spiritus, non in Apoſtolos, ſed in ſe, traditum aſſerunt.

CATHARI, propter mundiciam ita ſe nominauerunt. Gloriantes enim de ſuis meritis, negant pænitentibus veniam peccatorum. Viduas, ſi nupſerint, tanquam adulteras, damnant. Mundiores ſe cæteris prædicant. Qui nomen ſuum ſi cognoſcere vellẽt, Mũdanos ſe potiùs, quàm Mundos vocarẽt.

PAVLIANI, à Paulo Samoſateno ex-

orti

orti ſunt: qui dixit non ſemper fuiſſe Chriſtum, ſed à Maria ſumpſiſſe initium.

HERMOGENIANI, ab Hermogene quodam vocati: qui Materiã non natam introducens, Deo non nato eam comparauit, matrémque elementorum, & Deam aſſeruit: quos Apoſtolus improbat, Elementis ſeruientes. Ad Galat. Cap. 4.

MANICHÆI, à quodam Perſa extiterunt, qui vocatus eſt Manes. Hic duas Naturas & ſubſtantias introduxit. Id eſt, Bonã, & Malam: & Animas ex Deo, quaſi ex aliquo fonte, manare aſſeruit: Teſtamentum vetus reſpuit, Nouum ex parte recipit: Ἄνομοι græcè, id eſt, latinè, Sine lege, dicuntur.

ANTHROPOMORPHITÆ, dicti pro ſimplicitate ruſtica. Deum habere humana membra, quæ in diuinis libris ſcripta ſunt, arbitrantur. Ἄνθρωπος enim græcè, latinè Homo interpretatur: ignorãtes vocem Domini: qui ait: Spiritus eſt Deus. Incorporeus eſt enim, nec membris diſtinguitur, nec corporis mole cenſetur. Ioan. Cap. 4.

HERACLITÆ, ab Heraclio authore exorti. Monachos tantùm recipiunt: coniugia respuunt: regna cœlorum paruulos habere non credunt.

NOVATIANI, à Nouato Romæ vrbis presbytero exorti. qui aduersus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus inuadere, Hæresim instituit: nolens Apostatas suscipere, & rebaptizans Baptizatos.

MONTANI, hæretici dicti, quòd tempore persequutionis in montibus latuerũt: quâ occasione, se à catholicæ Ecclesiæ corpore diuiserunt.

HEBIONITÆ, ab Hebione dicti, siue à Paupertate. Christũ enim per profectum solum, Virum iustũ putant effectum. Vnde competẽter Hebionei, pro paupertate intelligentiæ, appellati sunt. Hi Semiiudæi sunt: & ita tenent Euangelium, vt legem carnaliter seruent: aduersus quos ad Galatas Apostolus scribens inuehitur.

PHOTINIANI, à Photino Gallogreciẹ

Smyrnæ

Smyrnæ epiſcopo nuncupati: qui Hebionitarum Hæreſin ſuſcitans aſſeruit Chriſtum à Maria per Ioſeph nuptiali coitu fuiſſe conceptum.

AERIANI, ab Aërio quodam nũcupati ſunt. Hi offerre ſacrificium, pro defunctis ſpernunt.

AETIANI, ab Aëtio ſunt vocati. iidémque EVNOMIANI, ab Eunomio quodam dialectico, Aëtij diſcipulo: ex cuius nomine magis innotuerunt: diſſimilem Patri aſſerentes Filium: & Filio Spiritum ſanctum. Dicunt etiam nullum imputari peccatum in fide manentium.

ORIGENIANI, ab Origene authore exorti ſunt: dicentes quòd non poſſit Filius videre Patrem: nec Spiritus ſanctus Filium. Animas quoque in mundi principio peccaſſe dicunt: & pro diuerſitate peccatorum è cœlis vſq; ad terram lapſas diuerſa corpora, quaſi vincula, meruiſſe, eáque cauſâ factum fuiſſe Mundum.

NOETIANI, à quodam Noëto vocati: qui dicebant Chriſtum eundem eſſe & Patrem & Spiritum ſanctum: ipſamq; Trinitatem in officiorum nominibus, non in Perſonis accipiunt. Vnde & Patripaſſiani vocantur, quia Patrem paſſum dicunt.

SABELLIANI, ab eodem Noëto pullulaſſe dicuntur: cuius diſcipulum perhibẽt fuiſſe Sabellium: ex cuius nomine maximè innotuerũt. Vnde & Sabelliani vocati ſunt. Hi vnam perſonam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti aſtruunt.

ARIANI, ab Ario Alexandrino preſbytero orti ſunt: qui coëternum Patri Filium non agnoſcens, diuerſas in Trinitate ſubſtantias aſſeruit, contra illud, quod ait Dominus: Ego, & Pater, vnum ſumus. Io.cap.10.

MACEDONIANI, à Macedonio Cõſtantinopolitano epiſcopo dicti ſunt: negãtes Deum eſſe Spiritum ſanctum.

APOLLINARISTÆ, ab Apollinare vocati ſunt: dicentes Chriſtum corpus tantum-

tantummodo ſine anima ſuſcepiſſe.

ANTIDICOMARITÆ, appellati ſunt, pro eo quod Mariæ virginitati contradicunt: aſſerentes eam poſt Chriſtum natum, viro ſuo commixtam fuiſſe.

METANGISMONITÆ, ideo tale nomẽ acceperunt, quòd ἄγγος græcè, Vas dicitur. Aſſerunt enim ſic eſſe in Patre Filium tanquam Vas minus intra vas maius.

PATRICIANI, à quodã Patricio nuncupati ſunt: qui ſubſtantiam Humanæ carnis à Diabolo conditam dicunt.

COLINTHIANI, à quodam Colintho nominati: qui dicunt Deum non facere malum: contra illud quod ſcriptum eſt: Ego Dominus creans mala. Eſa. cap. 45.

FLORIANI, à Florino: qui è contrario dicunt Deum creaſſe mala: contra id, quod ſcriptum eſt: Fecit Deus omnia bona. Gen. cap. 1.

DONATISTÆ, à Donato quodam

Aphro nuncupati: qui de Numidia veniens totam penè Aphricam suâ persuasione decepit: asserens minorem Patre Filium, & minorem Filio Spiritum sanctum: & rebaptizans Catholicos.

BONOSIANI, à Bonoso quodam episcopo exorti produntur: qui Christum Filium Dei adoptiuum, non proprium asserunt.

CIRCVMCELLIONES, dicti eò quòd agrestes sunt: quos & Scototopitas vocant, supradictæ Hæresis habentes doctrinam. Hi semetipsos amore Martyrij perimunt: vt violenter de hac vita discedentes, Martyres nominentur.

PRISCILLIANISTÆ, à Priscilliano vocati: qui in Hispania ex errore Gnosticorum, & Manichæorum permixtum dogma composuit.

LVCIFERIANI, à Lucifero Smyrnæ episcopo orti, qui episcopos catholicos, (qui Cõstãtij persecutione, perfidię Arianorum

con-

consentientes erant, & postea correpti, redire in catholicam delegerunt) damnantes, siue quòd crediderant: siue quòd se credidisse simulauerant (quos Ecclesia catholica materno recepit sinu, tanquam Petrum post fletum negationis). Hāc illi matris charitatem superbè accipientes, eósque recipere nolentes, à communione recesserunt: & cum ipso Lucifero, authore suo, qui manè oriebatur, cadere meruerunt.

IOVINIANISTÆ, à Iouiniano quodā monacho dicti, asserētes nullam Nuptiarum & Virginum esse distantiam: nullúmque inter Abstinentes, & simpliciter epulantes esse discrimen.

HELVIDIANI, ab Heluidio nominati: qui dicunt post natum Christum, alios Mariam filios de viro Ioseph peperisse.

PATERNIANI, à Paterno quodam exorti: qui inferiores corporis partes à Diabolo factas opinantur.

ARABICI, nuncupati eò quòd in Ara-

bia exorti ſunt:dicentes Animã cum corpore mori,atq; in nouiſſimo vtrũq; reſurgere.

TERTVLLIANISTÆ, à Tertulliano preſbytero Africanæ prouincię,ciuitatis Carthaginenſis: Animam immortalem eſſe, ſed corpoream prædicantes : & Animas hominum peccatorum poſt mortem in Dęmones verti putantes.

TESSERESDECADITÆ,dicti quòd Decimâ quartâ lunâ Paſcha cum Iudæis obſeruandum contendunt. Nam τέσσαρα, quatuor, δέκα Decem ſignificat.

NYCTAGES, à ſomno nũcupati, quòd vigilias noctis reſpuant: Superſtitionem eſſe dicentes:iuraq; temerari diuina,quę noctem tribuunt ad requiem.

PELAGIANI , à Pelagio monacho exorti.Hi liberum arbitrium diuinæ gratiæ anteponunt, dicentes ſufficere voluntatem ad implenda iuſſa diuina.

NESTORIANI, à Neſtorio Conſtantinopo-

tinopolitano episcopo nuncupati: qui beatam virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantummodo asseruit genitricem: vt aliam personam carnis: aliam faceret Deitatis: nec vnũ Christũ in verbo Dei, & carne credidit: sed separatim atq; seiunctim alterum, Filium Dei: alterum, Hominis, prædicauit.

EVTYCHIANI, dicti ab Eutyche Cõstantinopolitano abbate: qui Christum, post humanam assumptionem, negauit existere de duabus naturis: sed solam in eo asseruit Diuinam naturam esse.

ACEPHALI, dicti .i. sine capite, quod sequantur Hæretici. Nullus enim eorũ reperitur author, à quo exorti sint. Hi triũ Calchedonensium capitulorũ impugnatores, duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, & vnam in eius persona naturam prædicant.

THEODOSIANI, & GAIANITÆ appellati à Theodosio, & Gaiano: qui temporibus Iustiniani principis in Alexandria, populi peruersi electione, vno die

ſunt ordinati epiſcopi. Hi errores Eutychis & Dioſcori ſequentes, Calchedonenſe concilium reſpuunt: ex duabus, vnam in Christo Naturam aſſerunt. quam Theodoſiani, corruptam: Gaianitæ incorruptam contendũt.

AGNOITÆ, & TRITOITÆ, à Theodoſianis exorti ſunt: ex quibus Agnoitæ ab ignorãtia dicti: quia peruerſitati, à qua exorti ſunt, id adiiciunt: quòd Christi diuinitas ignoret futura, quæ ſunt ſcripta de die & hora nouiſſima: non recordantes Christi
Eſa.cap.30. perſonam in Eſaia loquentis. Dies iudicij in corde meo.

TRITOITÆ verò vocati, quòd ſicut tres perſonas in Trinitate, ita quóque tres aſtruunt Deos eſſe: contra illud quod ſcriptũ
Deut.cap.6. eſt: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.

SVNT & aliæ hæreſes ſine authore, & ſine nominibus, ex quibus Aliæ Triformem putant eſſe Deum: Aliæ Christi diuinitatem paſſibilem dicunt: Aliæ Christi de Patre natiuitati initium temporis dant: Aliæ liberationem

tionē hominum apud inferos factam Christi descensione non credunt: Aliæ Animam, imaginem Dei negant: Aliæ Animas cōuerti in Dæmones, & in quæcunq; animalia existimant: Aliæ de mundi statu dissentiunt: Aliæ innumerabiles mundos opinātur: Aliȩ aquam Deo coëternam faciunt: Aliæ nudis pedibus ambulant: Aliæ cum hominibus non manducant.

HÆ SVNT Hæreses aduersus Catholicam fidem exortæ: & ab Apostolis, & à sanctis Patribus, vel Conciliis prædamnatæ. quæ dum in se multis erroribus diuisæ, inuicē sibi dissentiunt, communi tamen nomine aduersus Ecclesiam Dei conspirant.

SED & quicúnque aliter Scripturam sanctam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo conscripta est: licet de Ecclesia non recesserit, attamen Hæreticus appellari potest. Hieron. in cap. 5. ad Gal.

QVINTINVS
AVDITORIBVS.

SI Dei gratia concesserit, in hac historia prælegenda vobis ostendemus infœlicis æui nostri Prædicātes (quando iam Dogmatistæ sic appellari malunt, quàm Prædicatores: quos vbique per Gnosticos intelligi volo) nōn in sola Gnosticorum schola doctos fuisse, verùm etiam omnes in vniuersum (quotquot hîc nominantur, & vnquam fuerunt) Hæreticos habuisse Doctores. Vna siquidem sola sine comite nunquam fuit Hæresis in homine. Qui reus est vnius, omnium facilè reus peragi potest. Inuicem nempe nodô nescio quô plus quàm Gordiô connectuntur: vt Samsonis vulpes non arctiùs vnà colligatæ fuerint: quod in Synodo nostra Gangrensi docebamus. Quæ quidem vulpes dum Philistinorum segetes comburunt (hoc est, in ruinis ac cinere iacentium sectatorum suorum animas perdunt) vt simul & ipsæ comburantur, necesse est. Ea quóque de causa curauimus ædendū Tertulliani librum, De præscriptionibus aduersus Hæreticos. Unde nos idem quóque discamus & intelligamus, quod animalis & monstri ge-

ſtri genus ſit Hæreticus. Animaliũ terreſtrium (ſi Plinio credimus) nullũ magis variâ formâ gignitur, quàm Canis: vt eos differre ſpecie dicas, ſi corporum reſpicias inæqualitatem, ſi caudas non eaſdem, ſi capitum, vel aurium, ſeu pilorum diuerſitatem conſideres. Et tamen vna Canum ſpecies eſt, Laconicorum, Moloſſorum, Melitæorum, & aliorum. Tam ſunt Hæretici Prædicantes inter ſe diuerſi: veruntamen, omnes Canes. à quorum rabidis morſibus Chriſtus nos defendat.

AMEN.

